

D. D.

# 10 APHORISMI MISCELLANEI.

QUOS,

*Consensu Ampliss. Facultat. Philos.*

PRÆSIDE

*Maxime Reverendo atque Amplissimo*

DOCT. CAROLO  
MESTERTON,

*Logic. & Metaphys. PROFESS. Reg. & Ordinat.*

*Publico examini subjicit*

JOHANNES REINHOLM,  
*OSTROBOTNIENSIS.*

DIE XXVII. MAJI ANNO MDCCCLXIL

L. H. P. M. S.

---

A B O A E ,

Impressit JOH. CHRISTOPH. FRENCKELL.

PEREXIMIE atque ERUDITISSIME  
Dn. AUCTOR & RESPONDENS,  
AMICE SVAVISSIME.

**Q**uisque vel paululum ad vitam nostram attendens, illis eximium habet honorem, qui in castris Musarum strenue militant, & vires ingenii altiori periclitantur conamine. Te Praestantissime Domine horum in numerum eo certius referto, quo pulcrius est specimen doctrinæ & dexteritatis a te partæ disputatione hac publica editum. Amicitia igitur quæ nos intercedit mibi injunxit ut oblata hac occasione progressus in scientiis factos sincere tibi gratuler. Vovo velit Deus T. O. M. exoptatos laborum successus tibi largiri, Teque sospitem & incolumen ad Nestoreos usque annos servare. Ero dum vixero


TUUS

*totus*

J. L.

CHRISTOPH. FRENCKELI,

## APHORISMUS I.



Aterialistæ, si non verbis,  
re tamen ipsa existentiam  
Dei negant. Quæ namque  
in mundo materiali repe-  
riuntur Deo competere  
non possunt. Res materia-  
les sunt finitæ, sed ex fi-  
nitis constare infinitum manifestam impli-  
cat contradictionem; prout Deum statuere  
finitum æque contradictorium est. Quum  
igitur adserant illa notioni Dei convenire,

: (2) quæ

quæ eandem tollunt; atque detrahant essentiae Dei, quæ ei necessario sunt adjudicanda, patet utroquæ modo essentiam Divinam penitus destrui.

## APHOR. II.

Supersticio est opinio, qua conceditur quidem Deum existere eumque esse colendum, rebus tamen creatis & humanis institutis <sup>Divina</sup> quædam efficacia & vis tribuitur cultusque Divinus exhibitetur. Sed enti creato Divini quid attribuere nihil infert aliud, quam transformare ens finitum in infinitum, creaturam in Creatorem, atque sic vel multiplicare Deos, vel omnem Divinitatem evertere (a); sequitur itaque cum supersticiosus Deum agnoscit, fieri hoc vel ad dissimulandam impietatem, vel quod thesin suam ipse non intelligit. Posterius verosimilius videtur, quia alioquin, seu si

---

(a) Conf. D. D. N. VALERII Prenot. Theol. Part. II. §. 96. 106.

nullum crederet Deum, non adeo tenax  
ridiculorum suorum rituum foret, ut pro il-  
lis extrema experiretur, hoc est, vitam at-  
que sanguinem pro cultu suo defendendo  
poneret, ut infinita exempla plus satis  
loquuntur.

### APHOR. III.

*Atheus per suam hypothesin fatalista est.*  
 Cum enim atheistus existentiam Creatoris ne-  
get, non potest non simul negare mundum  
esse creatum. Ast inter creatum seu ens  
contingens & increatum seu ens necessari-  
um non datur medium in classe entium a-  
ctualium. Mundum ergo pro ente necessa-  
rio seu independente habet atheistus, ideoque  
omnia in illo per quendam ordinem invio-  
labilem rationesque mechanicas, quæ con-  
tinentur in corporum essentiis, fieri statuit.  
 Sed prout essentiæ rerum sunt necessariæ,  
 ita ex athei opinione oninia absoluta ne-  
 cessitate eveniunt. Nam ex hac vesania se-  
 quitur

quitur existentiam rerum fundari seu rationem sui habere sufficientem in ipsa earum essentia, atque sic eandem, ac ipsa essentia haber, induere necessitatem. Hoc ulterius exinde elucescit, quod omnes actiones corporum absolvuntur per motum, quem corpora ipsa aliter determinare non possunt, quippe quæ omnem libertatis notionem relegent. In hoc autem cum consistat fatalismus, sequitur atheum per suam hypothesin fatalistam esse.

#### APHOR. IV.

*Omnis institutio Divina conjuncta est cum obligatione, qua obstringuntur homines ad id, quod Deus instituit. Quicquid Deus vult fieri ab hominibus, ad istud faciendum vi voluntatis ejus obligantur, omnes enim ab ipsa voluntate Divina, quoad suam existentiam & vires agendi, dependent; hoc est, voluntas Divina hominem intellectu & voluntate libera exornavit, & in ipsa ultima actua-*

8 ) 7 ( 9

actualitatis omnium rerum continetur ratio;  
contrariatur autem sapientiae Divinæ ut a-  
liquid frustra faciat, ergo posita voluntate  
Divina, ponitur obligatio.

Ex his tamen non sequitur omnes in-  
discrete homines obligari ad omne id, quod  
Deus instituit, alia enim est institutio status,  
alia personæ, alia facti.

### APHOR. V.

Caussam adæquatam & unicam pro-  
pensionum & inclinationum, quæ in ho-  
minibus admodum diversæ conspiciuntur  
derivare ex temperamentis, maximam in-  
fert absurditatem, quod unusquisque vel  
parum ad rem attendens haud difficile in-  
telligere potest.

### APHOR. VI.

Usum fabricarum in patria esse maxi-  
mum jam dudum a multis evictum est; ast  
vereor, ne fabricarum necessitas a quibus-  
dam

dam plus justo urgeatur nam ea est nostra conditio, ut omnem juxta diligentiam ad agriculturam promovendam convertere debeamus. Per nimiam autem fabricarum multitudinem magna pars ruricolarum ab agris colendis avocarentur, quod, quot & quanta agriculturæ adferret impedimenta a studio partium alieni vident. Iustum igitur inter utrumque hunc quæstum servandum est æquilibrium, ne uno alteri officiente, bene vestiti desideremus panem.

